Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

[Theologische Traktate, gedruckt und handschriftlich] - Cod. Rastatt 23

Verardus, Maximilianus

[S.l.], [Ende des 15. Jahrh.]

Eiusdem Marcellini Verardi ad poetas: Vt triumphum: de hoste Mauro ab Hispanarum principibus subacto: literis mandent: exhortacio

urn:nbn:de:bsz:31-284137

Visual Library

Nunc est nunc igitur iuvenes: puerique: senesque
Letandum: tellus nunc ferienda pede.
Fernandus resonet nunc cuncta per oppida & urbes:
Et sonet Helisabe cuncta per arva simul:
Illis nestoreos: illis optamus & annos
Xenophili: sed sit candida queque dies.
Dicite Io iuvenes: & Io bis voce sonora
Dicite: sic dicat denique quisquis adest.
Dicite nunc vivat: vivat Fernandus & uxor:
Per mare per terras regnet uterque diu;

Eiusdem Marcellini Verardi ad poetas:
Ut triumphum: de hoste Mauro ab
Hispaniarum principibus subacto:
versibus mandent: exhortatio;

Tendite iam citharam: calamosque parate poete:
Ingenium que iis grande dedit dea vertice summi
Ora patris: castusque fovet chorus ille sororum:
Castalium fontem servat qui pace perenni
Nunc opus o vates (res est immensa camenis)
Viribus immensis: quantas vix creditur olim
Vix habuisse virum phebi divine sacerdos
Meonide pectus: quo iam celebratus achilles
Ora per eternum volitabit docta virorum
Nunc merito voces: nunc linguas mille potestis
Optare: & quicquid vates non hactenus ullus

Optavit: neque unum talis per secula nostra
Res dicenda fuit: qualem celeberrimus ille
Fernandus pietate gravis rex inclitus armis:
Et virtute pari: tantarumque emula laudum
Helisabe: altiloque dicendam carmine prebent.
Urbs munita loco: telis: ac milite forti
Usibus educto longos perferre labores
Victa decennali bello velut altera Troia:
Quamvis nec ferro vinci nec viribus ullis
Posse putaretur: iam mitis reddita: portas
Pandit: et assignat laudi meruisse domari
Viribus Hesperei regis: minuitque dolorem
Servitii: domino servit quod victa merenti
Terrarum imperium: quas omnis circuit ingens
Oceanus: radiisque solet circundare titan.
Nec minus huic victor solito quam more pepercit:
Nobilis et variae sortis non immemor unquam:
Quae minime debeat consistere semper eadem
Certa loco: variatque vices non ordine certo.
O quam difficile est rebus servare secundis
Iustitiam rectumque simul: vel lumine claro
Cernere quid postulant leges: quid numina divum:
Attamen hic victor fuit mitis quamque benignus
Vix tandem domitam Maurorum intraverat urbem:
Difficile est memorare quidem: nisi musa Maronis:

Vel tua Meonide stygiis revocetur ab undis.
Hinc Fernande tuum merito super aethera nomen
Fertur: et extremos penetravit adusque Britanos.
Unde ea (nec fallor) tibi sunt monumenta parata:
Que nulla in terris poterit delere vetustas:
Nec tacito ac celeri properans longissima passu
Quelibet annorum series: aut temporis ordo
Saepe terens rigidi validissima robora saxi.
Nil poterunt ignes: nil ferri copia: quantam
Vix chalybes mittunt mundi: nil saeva nocere
Fulgura: nec venti. Summo nam parta labore
Ac virtute simul nequit ulla abolere potestas.
Tendite iam citharam: calamosque parate poetae.
Ecce (fide maius) pressa feritate tremenda
Colla dedit Maurus tandem: sceptrumque furorem
Dedidit nuper posito diademate tanto:
Quo ferus indignas gentis populosque premebat:
Hactenus et pressit: donec Fernandus ad arma
Confugiens Christi peregrinum contudit hostem:
Qui manibus iunctis (pro sors) ac supplice voce:
Qua prius horrenda tectum resonare videres:
Nunc veniam vitamque petit: velut ursus in amplis
Saltibus: occurrens fulvo qui forte leoni
Ausus erat demens nimium suo viribus aequis
Obstare atque hostem contra certamen inire:

Victus abit miser et donatus munere vite.
Magnanimo satis est etenim potuisse Leoni
Perdere: nec veluti turpes lupus impius hostes
Sevit: ut obstantis tandem fata impia cernat:
Sed donat: quo non victus donatus abisset.
Nobilis Hesperie sic rex se gessit in hostem
Concedens veniam Mauro peccasse fatenti.
Tendite iam citharam: calamosque parate poete
Ecce iterum phebus domuit pythona superbum
Innocuos populos indignaque rura prementem.
Altera nunc merito celebrentur pythia regi
Hesperio: sanctisque focis pia tura cremantur.
Magna potens voti populus sua munera templis
Inferat: atque iterum celestes vota precentur:
Fernando liceat dum dextra computet annos
Vivere: quo solo gaudet nunc victrice mundus.
Assertor fidei defensor et optime Christi
O fernande potens: o maxima cura deorum:
Astra favent cui cuncta simul: celumque ministrat
Quicquid inest animo conceptum et pectore puro:
Felices nimium qui te genuere parentes:
Et quicunque tibi voluit deus esse propinquos.
Que gens hispana: que gens felicior usquam?
Provincia qua tanto fuerit dignata parente
Cura deum: passim celebrat cui mille triumphos

Orbis roma caput: penetrantibus ethera flammis
Ignibus assiduis: ut Phetontem credere posses
Cornipedes agitare suos in nocte silenti.
Difficile est numerare quidem quot gaudia: plausus
Quot fiant: meritosque simul celebrent honores.
Sulfureis primum sonitus percussus aer:
Ignibus emissis tonitruque in arundine clausis.
Mox repetunt terras: veluti quom sede relabens
Aerea sidus radiantes ducere crines
Conspicitur: populo stellas mirante revelli
Aethere convexo: caelumque relinquere posse.
Ecce furens taurus mugitibus ethera complet.
Turba frequens cedit primo loca tuta requirens:
Mox redit: cum iam veluti percussus ad aras
Dat gemitum taurus iuvenum simulante caterva
Ense refulgenti: iaculisque infixus acutis
Perforat hinc illinc: iamque hos iam preterit illos
Cornibus ac plateas populi clamore resultant.
Miscentur que simul merores: gaudia: plausus.
Vidimus inque foro: que vulgus dicit Agonem!
Granatam dominam ficta sub imagine vinci:
Assiduo iactu dum testa saxa volarent.
Iactaque militibus longe volitaret arundo
Hesperiis: prensasque manu iam moenia scalam
Stipite concideret scalis detrusus ab altis.
Aethera quom stupidus toties resonare videbas

Vocibus: & belli tormentis: gregeque rauco.
Grauior at populo (liceat mihi vera fateri)
Non fuit Aladius: quam quom circumdatus armis
Et galeatus eques longis concurreret hastis:
Terribilisque cadens sonitu persepe Veredo
Conteret terra sella deiectus ab alta
Miles: & hastarum volitarent frusta per auras:
Hinc tuba terribili concineret tarantara cantu:
Illinc certatim tenui percussa bacillo
Timpana multa sonus penetraret ethera bombis.
Regificos luxu licuit spectare triumphos:
Quos oculus mundi spaciosque lumine cernens
Linquit in orbe pater: dum lustrat lampade terras
Ignifera: celerum retinacula pene relaxans
Cornipedum stupidus: procul est miratus ab altis
Sedibus: & quales spectasti tempore prisco
Roma: triumphatum tandem quom leta Iugurtham
Natorum gemina comitatum prole videres:
Captiuosque genus mestum procedere currus
Ante triumphales oneratos colla catenis.
Presulis hec magni Raphaelis cura fuere
Muneraque purpureo meritum cui velat honore
Condecoratque caput rubicundi lana galeri
Quemque tibi fidum tutorem dux Georgi
Elegis: aduertens quanta pietate fideque
Iusticiaque foret dudum iuuenilibus annis.

Hunc fernande diem niveo signare lapillo
Te decet: cui soli tantum tibi prestat honorem
Helisabeque tua pietas Raphaelis: et alto
Pectore fixus amor: que concitat inclita virtus.
Qua supra vires hominum polletis uterque.
Nec tamen interea grates ac dona tonanti
Dissolvimus merito: qui terras lance gubernans
Aequali: voluit meliore vincere causam:
Fernandoque dedit vires: quibus esset in hostem
Fortior ostendens Magnetis nomen inane.
Namque sacerdotum seriem procedere longam
Vidimus. O pietas pastoris maxima nostri:
Pontificemque bonum visentem templa Iacobi.
Hos fernande tibi celebrat pia roma triumphos
Helisabeque tue dulci que iuncta marito
Egregias superat laudes: animumque pudicum
Imperatoris: dum se mediis exercet in armis,
Fernandus resonat nunc cuncta per ora virorum:
Non aliter quam roma suos si forte quirites
Marte conspiciat superata gente superba
Curribus auratis capitolia summa petentes.
Captivosque sequi manibus post terga revinctis:
Nam puer et iuvenis concordi mente senexque
Omnis ait: bene sit: bene sit tibi maxime regum:
Quem deus omnipotens voluit concedere terris
Omnibus exactum numeris cui longe cara

Helisabe: aspectu muliebri mente virili:
Ut quibus exultat celum frueremur & ipsi
Hac etate viris: quos tanque numina cuncti
Miremur: meritoque simul veneremur honore.
Vestrum opus o vates erit hoc: nunc pandite vela:
Dicite nunc laudes fernandi: dicite honores:
Quos meruit pugnas superans que tot oppida & urbes:
Nunc quibus innumeris exultat hiberia dives
Hoc duce moderante rate clavumque tenente.
Eia agite aonidum iamiam pia turba sororum
Tendite iam citharam: calamosque parate poete:
Nil nisi fernandi resonent pia carmina laudes:
Efferte eternis eternum versibus illum:
Qui dilexit musas: doctos & amore poetas.
Sumite vos calamos: iamdudum dona paravit
Ipse vobis preciosa quidem: preciosa parate
Carmina: grandiloquis hoc decertum splendida vates
Premia carminibus: refert (michi credite) refert
Muneribus vinci: potuitque vincere quicquid
Vincere tentavit pregressa potentia regis
Fernandi: quem fata volunt concedere terris:
Dum velit & ipse suum conscendere letus olympum:
Hic ubi celestis divina potentia patris:
Qui mare: qui celum: qui terras fructificantis
Imperio regit: & summa ratione gubernat
Stellatum solium celsa delegit in arce:

Quo Fernande tuis meritis reddantur honores
Pluribus et gestis: et premia digna labori:
Unde tibi dabitur divorum accumbere mensis.
Hic tu conspicuus venero comitatus amore
Coniugis: aspersus superum: liquidoque frueris
Nectare: et ambrosia: non dignus honore minori.

EIUSDEM ELEGIA QUA FIDES FERNANDO
et Helisabe gratias agit quod eorum opera a maurorum
cathenis fuerit liberata

Magnanimi proceres: tuque o placidissima nostra
Accipe si que sim noscere forte cupis
Nuncupor alma fides totum veneranda per orbem:
Omne potens firma pace ligare genus.
Nam si rite colar: procedunt omnia recto
Ordine: consumit et martia tela situs.
At si deficiam: rerum confusus et ordo
Deficiat: solis luna tenebit iter
Sed tamen heu quid non mortalia pectora tentant?
Heu miserum quid non mens furibunda cupit?
Maurus ad infandas leges Macometis: iniqua
Ausus erat populos vani vertere moris.
Tunc ego granatis (fuit hec nam dedita quondam
Terra mihi) a duro principe capta fui.
Hic igitur pedibus foedis oppressa tenebar
Multa ferens tanta non toleranda dea.
Verum hec haud passi fernandus et inclita coniunx